

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 17. De obligatione voti, & peccato quod illius transgressione  
committitur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

differre inter se species: sicut differunt simplex promissio & stipulatio. Tenendum etiam est consequenter, quod votum solemne transgressus, non satisfaciat obligationi integre confitendi, si dicar se transgressum esse votum castitatis, sed debeat explicare circumstantiam, quod tale votum fuerit solemne.

226. Octaua diuisio voti est, in priuatum quod priuatum sit, & in publicum quod publice, & coram multis sit. Quae diuisio non coincidit cum praecedenti: quia non repugnat votum simplex fieri publice, & solemne fieri priuatum, id est, presente solo Prelato Ecclesiastico. Aliud circa diuisiōnē hanc canorandum non occurrit nisi quod votum publicum ceteris paribus magis obliget, ratione scandali, quam priuatum.

*Nonā diuisio voti in personale, reale, & mixtum.*

Votum personale dicitur, cuius materia est actio personae: sive ea sit actio praecitorum, sive consiliorum, operumve supererogationis: vt votum ieiunandi, orandi, pati-  
peritatis, castitatis, obedientie, aut ingrediendi religionem: sive etiam sit pecunia estimabilis: vt si quis voleat manibus laborare in aedificatione templi, votum confertur personale: quia quantumvis sit digna stipendio, adeoque pretio iusto (quo & redimi positi de consensu Prelati) spectandum est tamen potius secundum illud quod ipsa est formaliter, quam secundum illud cuiusque virtute. Ita notat Suarez in seq. lib. 2. cap. 12. num. 1. Reale vero dicitur, cuius materia est res aliqua: vt votum elemosynae, vel alterius oblationis pecuniae in piū vīsum. Mixtū denique, cuius materia partim constat ex actione, partim ex re. Quod duplex est, vnum quod æque constat ex personali & reali: vt si quis voleat se oraturum in sacello Loretano, & ibi collaturum aliquot numeros aureos. Alterum vero quod principaliter est personale, & secundario ac accessoriū est realē: vt votum peregrinationis. Nam peregrinatio de se est actio personae: quam ut exercet qui debet expendere res suas: quia ex parte tale votum est realē secundario: sicut & ratione actionis, quā principaliter peregrinatio importat, est principaliter personale. De qua re Suarez in seq. num. 2. & 3.

227. Differunt autem in tribus votum personale & reale. Ac primo, quod personale tanquam onus impositum personae votentis, non transferat ad alios iatione hereditatis, seu bonorum à votente acceptorum. Reale vero tanquam onus impositum iebus votentis, transferat: sicut & transcurrit debita ab ipso contracta. Secundo, quod votum personale ab uno emissum, non obliget alterum: quia est aetate religionis quo votens propriam voluntatem offerit Deo, ad excitandam in se devotionem: Votum realē autem obliget, non quidem ratione actus votendi, sed ratione rerum per votum obligatarum. Et ita haeres sive filius sive alias, ad vota realia eius qui illi relinquit hereditatem, tenetur saltē iuxta vires hereditatis. Tertio, quod is qui non potest per se implere votum personale, non tenetur implere per alium, iuxta post dicta in sequenti num. 283. votum vero reale tenetur implere etiam per alium, sicut & solvere debita alia a se contracta: cum perditione illius, ac ratione horum, habeat res suas obligatas satisfactiones.

228. Porro votum mixtum æque principaliter ex personali & reali, quatenus est personale, induit naturam voti personalis: & quatenus reale, voti realis: & ita si quis votum ire ad S. Iacobum & ibi dare calicem, haeres tenetur eo mittere calicem, non autem eodem ire. Reale autem principaliter, sed secundario & accessoriū personale, conditionem habet & proprietates voti realis: quia accessoriū lequit naturam principalis, vt haber regula 42. iuris in 6. Hincque est, quod si defunctus dum viueret voleat adificare monasterium, & ibi religiosam vitam profiteri, quia tale votum mixtum est principaliter ex reali, & accessoriū ex personali: haeres tenetur fundare monasterium: non autem ibi religiosam vitam profiteri personale vero principaliter & accessoriū reale, conditionem, & proprietates pari ratione haber realis. Et ita si quis voleat peregrinari,

haeres nec tenetur id implere, neque expensas quas facturas erat mittere ad locum piū, quo peregrinaruit erat: sicut nec si voleat religionem, tenetur eidem in religione dare bona quas ille secum in cam latutus erat: quia talia sunt tantum accessoria. Hæc doctrina est Paulus in 4. dist. 38. qu. 3. art. 3. D. Apton. 2. part. titul. 11. cap. 2. §. 5. Syl. Vo-  
tum 2. quest. 11. & Nauarr. in Enchit. cap. 12. nu. 56. & 57. Sotii in 7. De iust. quest. 2. art. 1. in fin. Eamdem late perficitur Suarez in seq. lib. 4. cap. 11.

*Postrema diuisio voti est in affirmativum & negativum.*

229. Votum affirmativum dicitur, quod sit de agendo ali-  
quid, vt de suscipienda peregrinatione, negativum  
vero, quod de non agendo, vt de non fornicando. Adven-  
tenda sunt autem duo, pro iudicio nobis proposto, quæ  
Suarez tractat in memorato lib. 4. cap. 12. Primum est, votum  
negativum absolute factum obligare semper, ac pro semper,  
adeoque statim a factum est, perpetuoque: nisi ex inten-  
tione votentis ipsum limitetur. Huius fundamentum est:  
quod negatio absolute ralis natura sit, vt destruat omnia  
qua possit inuenire. Exceptionis vero additæ ratio est,  
quod obligatio voti, cum sit voluntaria, non extendatur  
vltra votentis intentione se obligandi. Quia si fuerit cum  
limitatione ad diem à quo incipiat, vel ad certum terminum  
in quo desinet, aut cum certa restrictione materia (vt cum  
vouit quis, se non ingressum aliquam domum spectans  
talem ingressum tanquam occasionem peccandi) votum  
inde censebitur conditionati rationem induere, ipsiusque  
obligatio suspendetur usque ad diem vel terminum praefixum: caue coſſabit, si cetera materia restitutio, vt g. occaſio peccandi ex ingressu domus.

Posterior est, votum affirmativum obligare statim ac  
fit, non tam pro statim. Prior pars probatur, quia votum  
ex se est efficax causa obligationis: ideo enim dicitur quod  
vouere sit quidem libertatis, sed votum implere sit necessi-  
tatis. Eaque de causa statim ac emissum est, is qui emitit  
obligatur ad non habendum propositionum contrarium ob-  
seruantia illius, & ad caendum eiusdem obseruantiae im-  
pedimentum. Posterior pars vero ex eo constat, q. opera-  
tio positiva requiri temporis opportunitatem, quæ non  
semper adest: humanoq. modo, nemo liberaliter promittendo,  
intendat alter obligeare se ad agendum aliquid,  
quam vt id præstet cum primum poterit commode. In di-  
judicanda autem committitate voti adimplendi, spectandum  
est solam, quanta in negotio, quod ex voto peragendum est, requiratur iudicio prudentium, circumstantis  
in pectis. Ratione quarum euenter potest, vt dilatio tem-  
poris, quæ respectu unius, nimia non est: sit respectu alterius  
nimia: quia tempus, quod commodum est respectu unius:  
non est semper respectu alterius, ob diuersas circum-  
stantias personarum & negotiorum.

### C A P . XVII.

*De obligatione voti, & peccato quod illius trans-  
gressione committitur.*

### S V M M A R I V M .

- 230. Obligatio voti est sub mortali, ac illius violationem suadere peccatum est mortale.
- 231. Causa generis sit malitia violationis voti.
- 232. Peccatum est, diutius differre voti adimplectionem, perinde ac illud non implere.
- 233. Tres casus excepti.
- 234. Differuntia inter votum factum de bono supererogationis, & factum de bono posito in precepto.
- 235. Notanda ad indicandum quando peccetur contra votum af-  
firmarium, aut contra negativum.
- 236. Alia notanda ad indicandum quando peccetur contra votū, cuus obligacioni prefusus est certus terminus.
- 237. Quo ex leuitate materie transgressor voti excusari possit &  
mortali.

118

- 238 *Qui non potest votum implere ex toto, tenetur ex parte quam potest.*  
 239 *Quando & quale peccatum committatur paenitendo defacto a se voto.*

**V**nde ad huius rei notitiam faciunt plenissime Suarez persequitur in sexto tractatu de religione libro 4. & 5. Quæ vero posunt Confessario sufficiere ad non iudicandum de ea temere, aliquot documentis complestemur.

230.

Primum est, votum validum sic obligare natura sua, ut transgressor illius mortaliter peccet, nisi interueniat impedimentum (*de quo in sequentibus*) extinguens illius obligationem: seu iusta causa per quam idem transgressor excusat prudenter iudicio. Itud expressis tradunt Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. Supplementum Gabr. ead. distinct. quæst. prima litera F. Sotus in 7. de iust. & iure q. 2. art. 1. non longe a principio, Caiet. in verbo Votum c. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 26. vbi ait communem Theologorum sententiam esse: & Syluest. verbo votum 2. quæst. 2. o. simpliciter omnium sententiam esse dicere. Confirmatur autem: tum ex cap. Ananias. 17. quæst. 1. unde habetur voti transgressionem dignam esse morte, prout constat ex eo quod gestum est in Anania & vxore eius, ex Actorum quinto cap. Tum ex cap. Licer De voto & voti redempt. vbi dicitur post votum non licere alicui sine proprio salutis dispensatio resilire. Tum ex priori ad Timotheum cap. 5. v. 12. vbi vidua quæ castitatem voverunt, volentes nubere, dicuntur damnationem sibi acquirere: quia primam fidem iritatem fecerunt. Tum demum ratione: quia si homo hominem grauerit offendit, per perfidiam quam fidem ei datam frangit: multo magis grauerit offendit Deum per illam perfidiam irreligionem, qua votum ei sancte nuncupatum violat. Vnde intelligitur: quod quamvis voveret sit consilij: implere tamen quod voto promissum est, esse præcepti & necessitatis: iuxta cap. primum & secundum, 17. quæst. 1. expresseque habetur ex citato cap. Licer & ita illud Pial. 75. Vouete & reddite Domino Deo vobis] consilium continet quoad priorem partem: & præceptum quoad posteriorem. Intelligitur quoque mortaliter peccare eum qui persuaderet alteri violare votum: vt contigit illis qui vinum Nazarei propinabant, ex cap. 2. prophetæ Amos vers. 12. à quo ex voto temerantur abstineere prout habetur ex cap. 6. Numerorum vers. 2. & 3. Ratio vero talis peccati patet per illud Apostoli monitum ad Rom. i. in fine: quod digni sunt morte non tantum qui ea quæ mortalita sunt faciunt, sed etiam qui consentient facientes.

231.

Cæterum malitia violacionis voti est cuiusdam perfidiae erga Deum, vt indicant citata verba D. Pauli Quia primam fidem iritatem fecerunt.] Quibus accedit quod inter homines franges promissum arguat infidelitas. Vnus specie autem esse talen malitiam respectu omnium votorum, ob rationem vnius irreligionis admissa in actu cultus diuini, Suarez pro scholastico instituto sive tractat in citato lib. 5. cap. 3. Vbi num. 8. notat cam nihil omnino secundum quandam eminentiam inuolueret deformitatem sacrilegij, & mendacij: sacrilegij quidem, quia per voti violationem, quod fuit dicatum Deo, denegatur ei: mendacij vero, quia non fit quod dictum est, fore vt fieret immo (*quod longe maius est*) & quod Deo promissum est. Porro grauior est violationem voti quam perjurii malitiam, habetur ex Soto de iust. & iure li. 8. quæst. 1. art. octauo, post D. Thomam 2. quæst. 89. art. 8. Aduerte tamen, quod idem Sotus subiungit, & Nauar. notat in Enchir. cap. 12. num. 32. id locum habere certum, quando iuramentum principaliter sit in utilitate proximi: vt soler communiter: si enim principaliter fiat in honorem Dei (quia omnis ratio obligandi quæ in voto cernitur, in illo quoque datur, & quid amplius) grauior censemur malitia perjurii, quam violationis voti.

232.

Secundum documentum est, peccatum mortale esse, vt transgredi votum, sic & illud diu differre, quando potest statim impleri. Quodquid probatur per illud Deur. 23. Cum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus] & infra: Si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.] Itens per il-

lud Ecclesiasticus quinto: Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicer enim ei in infidelis & stulta promissio.] Ex quibus verbis patet, peccatum perfidiae erga Deum committi, vt transgrediendo votum, sic illud non statim implendo, cum impleri potest: quemadmodum peccatum iniustitia erga proximum committitur, non tantum retinendo alienum: sed etiam illud non statim restituendo.

Tres tamen casus sunt in quibus istud non procedit. Primus est, quando ille qui vovit præfixit sibi certi tempus: donec enim ipsum sit elapsum, non tenetur votum implere. Secundus, quando prudentis arbitrio iusta causa ad est differendis impletionem voti. Tertius, quando ex inadvertentia inculpabili impletio differtur. Cæterum talis dilatio tunc est peccatum grauius, quam alioqui esset, cum efficit, vt votum ipsum nullo modo possit postea impleri.

Hic decurrit dubium, an in materia graui, dilatio ad impletionis voti sit mortal, etiam si fuerit brevis mors. Ad quod Suarez in seq. cap. 6. num. 8. respondet, ex breuitate mortale peccatum esse tantummodo veniale: eamque esse communem sententiam Summulariorum addit aliquot citaris. Ratio: est, quia rationaliter præsumitur, si non constet de contrario, voventem non habere animum obligandi se cum rigore maiore, quam solent homines cum obligant se ex rigore iustitiae: in quo casu excusatione esse à mortal per leuitatem morte, qua talis satisfactio differt, patet ex dilatione solutionis mutari, quæ non damnatur peccati mortal, si modicis temporis sit. Nota autem consequens esse ex proposito documento: extra casum in quo impedimentum occurrit sufficiens ad tollendum obligationem voti: sicut ad lice omittendam: ita & ad lice differendam voti adimplitionem, requiri: tum iustam causam, tum Superioris autoritatem: de quibus in sequenti cap. 22.

234. Tertium documentum est, si votum sit de bono supererogationis, seu quod sit tantum in cœilio, vt de iejunando extra tempus ab Ecclesia præscriptum: violationem illius esse speciale, vnicumque tantummodo peccatum: si vero sit de bono quod erat in præcepto positum: vt de non fornicando, non furando, &c. violationem ipsius non esse peccatum speciale sed circumstantiam mutantem speciem, atque adeo necessario confitendum: eo quod malitia & fornicationis superaddat malitiam perfidie irreligiosa. Et ita formaliter loquendo, tunc datur in uno actu duplex peccatum: ob duplum nimurum deformitatem, quæ in eo cernitur. Quodquidem procedit, etiam quando votum fuerit generale de non peccando mortaliter, ex Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 34.

235. Quartum documentum est, si votum fuerit affirmatum, vt de orando, vel dejejunando, aliisque faciendo: atque prima vice aliter fractum sit vt neque amplius obseruati, tunc ex vi voti, peccari ea sola præmice, non item deinceps: eo quod impossibilis facta sit talis voti adimplatio. Exempli est, si quis voverit iejunare die Sabbathi in honorem B. Virginis, & mane prandium sumperire. Quia enim illi impossibile est iejunare eo die febare, sumendo cenam non peccare ex vi voti: nisi id faciat in illius contemptum. Aduerte tamen interdum manere obligatum ad suppendum talem suum defectum: voti scilicet vitæ terminum præfixum retinente vim suam: interdum vero in termino præfixo obligationem voti extingui. De qua re late tractat Suarez in memorato tractatu lib. 4. cap. 1. Sed breviter consulendo cōtentus esse postulamus eo, quod Nauar. habet in Enchir. cap. 12. num. 54. inquisiūnum qui vovet se aliquid certo tempore facturum, vt iejunatum, si præcipue habuit rationem operis (prout solent Confessarij dum in penitentiam imponunt penitenti vi ieju- ne die venientis) nec impedit in tempore illo præfixo: tene- tibi implere in proximo: seu quamprimum commode potest. Si præcipue rationem habuit temporis, & illi ipsum opus adiunxit tanquam onus (ad eum scilicet modum quo ecclesia iejunum indicit in vigiliis quartumdam solemnitatum) nullam tunc remanere obligationem implendi id quod omnissimum est in eodem tempore præfixo.

Quod si votum sit negativum, vt de non vescendo carnis, tunc quoties contra ipsum agitur, nisi iusta causa

excuset,

excusat, peccatur mortaliter: siue sit votum perpetuum, siue temporale, ex Nauarr. in praeced. nu. 53. & Angelo in verbo Votum 3. num. 27. Et ratio est quia votum ad instar praecetti, quatenus negatiuum est, obligat ad semper seu ad totum tempus pro quo emissum est intentione videntis: ita ut non sit in eo locus dilatationi impletoris: sed quamdiu tempus illius non finitur, peccetur qualibet vice qua contra illud agitur: nisi legitima Superioris relaxatio, aut gravissima necessitas (qua nullam habet legem) excusat. Ratio est: quia negatio de se destruit omnia: & ideo votum negatiuum factum in communione aliquo actu, obligat simpliciter ad abstinendum ab omni actu particulari talis rationis: adeo ut roribus peccetur contra eiusmodi votum, quoties perpetratur actus particularis, illo communi comprehensum: siue id ipsum votum factum sit pro diuturno, siue pro breui tempore: dummodo intra ipsum fieri eorumdem actuum repetitio.

Ceterum si ad unam ex pluribus diebus, votum est et indifferentem emissum: ut cum quis voulteret una die hebdomadæ non bibere venum, tunc neque hac neque illa præcisæ die contra votum peccaretur bibendo: nisi ester ultima hebdomadæ dies: in quam tunc votum præcisæ caderet: ideoq; toties in ea peccaretur quoties ageretur contra tale votum, perinde ac si esset præcisæ emissum de non bibendo eo die.

<sup>136.</sup> Quintum documentum est: circa votum cui videntis intentione prefixus est terminus ultra quem non obliget, sequentia esse notanda pro praxi, qua Suarez persequitur in citato lib. 4. cap. 14. & 15.

Primum est, Quando quis voulteret opus aliquod tanquam onus, certæ diei: ut ieiunium feria sexta in honorem passionis Domini, etiam si præuideat se illo die impediri ieiunio, non teneri præueniendi, ieiunando præcedente aliquo die: ut nec suppleret ieiunando aliquo sequenti die. Ratio est quod etiam si id faciat, non implebit votum suum, quo specialiter promisit ieiunare feria sexta in honorem illius diei, dicari memoria passionis Christi.

Secundum est, Quando videntis apponit certum tempus operi quod voulteret: si id faciat intentione suspendendi obligationem usque ad idem tempus, tunc non esse obligationem præueniendi, adimplendo promissum ante præscriptum tempus, etiam si præuideatur, futurum tunc impedimentum adimplendi. Ratio est, quod talis terminus non sit appositus, tam ad differendam adimplectionem, quam ad obligationem adimplendi inchoandam, ut sensus sit ex tali die hoc faciat: vnde sit vt tanta talem diem nulla sit obligatio, quaenam illam diem adimpleri debeat: nisi obligatio habendi moralem prouidentiam & curam, ut votum possit impleri suo tempore: pro quo obligavit statim ac etiam si est.

Tertium est, Quando in voto certum tempus operi apponitur tantum ad differendam adimplectionem: non vero ad suspendingam obligationem: præueniendum esse idem tempus adimplendo promissum: si præuideatur futurum in illo impedimentum implendi. Ratio est: quia tunc votum statim ac sit, obligatus absolute ad hoc, ut opus fiat intra designatum temporis terminum. Id quod illustrari potest exemplo præcepti confundit in tra annum: quod qui nouit se non posse implere duodecimo mense, debet aliquo priore mense satisfacere tali siue obligationi. Et obligatus ad recitationem horarum canonistarum, præueniens se ab ea impedientium post meridiem, debet præuenire ante meridiem. Hoc autem procedit, etiam si terminus temporis sit appositus ad finiendum obligationem: ut cum quis voulteret se ieiunatur quatuor diebus vnius mensis, non designando quibus limitando tamen voti obligationem ad eum ipsum mensis: ita ut velit illam cum hoc extingui. Quia igitur terminus talis mensis non fuit appositus operi ea intentione, ut in illo suspenderetur obligatio istud implendi: si præuideatur futurum ut post certum diem eiusdem mensis, votum impleri non possit: implendum est præcedentibus diebus: quod est præuenire terminum appositorum. De his latius Suarez in citato cap. 14.

Quartum est, Cum terminus præfixus fuerit voto ad finiendum illius obligationem: eo claps videntem non

teneri ad aliquam compensationem. Idem dic de eo qui voulit quidem absolute, sed factus est impotens ad voti sui obseruationem: etiam si culpabiliter omiserit illud implere suo tempore, aut scipsum reddiderit impotentem ad impletum: & siue sit votum personale siue reale, prout in particulari late docet Suarez in cit. cap. 15. Ratio vero horum est, quod videntis intentionis in priore casu, sit sicut tantum pro certo tempore obligandi ad aliquid agendum: & in posteriori obligandi se quidem absolute: sed si possit præstare, non autem ad faciendam aliquam compensationem si non præstet. Nec est quod quis dicat teneri ad resarcendam iniuriam in eo illatam Deo. Nam culpa violationis voti non habet rationem iniuria, qua ad compensationem obliget per modum alicuius restitutionis, cum non sit proprie iniuria: ut pote qua non damnificat Deum in suis bonis: ut contra iustitiam inducentem restituendi obligationem, esse conferri debeat. Nam ut habetur Iob. 35. Si peccaueris quid ei nocebis: q. d. nihil. Votum igitur violatio est quidem grauis culpa contra fidelitatem Deo debitam: non tamen contra iustitiam propriam dictam: ita ut illa non requirat aliam satisfactionem, quam conuersiois ad Deum ipsum, per veram penitentiam.

Sextum documentum est, Paruitatem rei, transgressem voti excusare a peccato mortali: non solum quando illa tantummodo fuerit pars materie voti (quod neminem negare notat Suarez de relig. tract. 6. libro 5. cap. 4. nu. 6.) ut cum quis voulit se recitarum septem psalmos, & scienter unum aut alterum verticulum omittit: sed etiam quando fuerit tota votum materia: ut cum quis voulit se recitarum semel orationem Dominicam vel salutationem Angelicam, ne que vult votum impleat. Id quod Caetanus 2. 2. quæst. 89. art. 7. negat quidem: sed tenendum est, sicut tenent Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 40. & Sotus de iust. & iure lib. 8. quæst. prima art. 7. vbi ipsum acriter contra eundem Caetanum propinquit: & post eum Suarez in memorato cap. 4. n. 8. quia nihil est curratio modici, seu paruitatis in hac materia, sicut & in aliis sub mortali prohibitis, non valeat ad excusandum a mortali. Non enim locum habet in violatione voti, impedimentum illud per quod leuitas materia non obstat, quin peccata aliqua sint mortalia: nimis direcere repugnat punita veritati, Dei propriæ: desperatio, infinita Dei misericordia: odit Dei, infinita ipsius bonitatis: & periculum, ipsius summa perfectioni, qua nec mentiri potest, nec ulli iniurati cooperari. Non habet inquam, locum in violatione voti tale impedimentum: quia malitia eius peculiariter consistit in infidelitate, qua fidei Deo datam frangimus: id q. tantum ostendit ne quicquam nostram: nec pugnat directe, tanquam ex diametro oppositum, cum aliquo diuino attributo.

Nec etiam quod actus leuis sit totalis materia voti, obstat quin illius violatio tantum sit venialis: maiore etiam ratione quam si partialis esset, ut argumento esse posset: quod per multiplicacionem violationis præcepti in partibus modicis materia: sua gravis, peccatum mortale possit committi: non item per multiplicationem violationis diversorum præceptorum habentium pro materia sua diuersos actus leues, quorum singuli tanquam totalis materia, fortim ac sigillatim mandandi sint executioni. Quae de relate Suarez in seq. cap. 5. In hoc autem confundatur, quod actus leues quando sunt partiales, concurrant ad cōficiendum unum totale, qui sit materia, adæquata voti, eaque, ut supponimus, gravis: consequenterque, per argumentum a contrario, omissiones illorum leues, tanquam partiales concurrant ad cōficiendum unam omisionem totalem: quia nonnunquam tam gravis est, ut possit ad mortale sufficere: nō tantum secundum se tota, sed etiam secundum notabilem sui partem: quia scil. præcepti adimpleti sic multetur, ac deturpetur: ut iudicio prudentis existimandum sit non esse ei satisfactum: cum moraliter illud nō habeatur pro impletio, quod magna ex parte non est impletum.

Quodquidem contingit, non modo cum pars ipsa magna, tota simul omissa est, sed etiam cum scorsim multæ partes modice, que simul collecte illam adæquant. Atque

ita qui voto se adstrinxit ad vnara integrum recitationem septem psalmorum pœnitentialium; vt res censetur peccati mortalis, si duos vel tres ultimos sine causa omittit: sic etiam censetur, si in tota recitatione hinc inde omittat tot versus, qui eo idem psalmos in quantitate adæquentur. Hinc enim perinde ac illinc contingit notabilis mutilatio integræ recitationis, impediens ne votum de ea factum iudicetur impletum: quia leues ipsæ omisiones sic multiplicantur, vt in totalem quandam coalefcendo, una accipiat per aliam incrementum: in quo, cum per multiplicationem ventum fuerit ad propositum æquitatem, violatio quæ illam inducit, erit peccatum mortale: quia licet materia in qua committitur sit de se leuis, non est tamen secundum eam rationem, qua pœnitenitibus superadrita in unius materia grauis complementum, habetur prœgrauis.

At vero quando multi actus leues, sunt materia totalis singulorum votorum, ita ut singulatim ac diuissim adimplendi sint: quia runc nulla est eorum vno, qua vpus augeatur peralium: nunquam per multiplicatam violationem ipsorum veniale, peruenit ad aliquam mortalem. Nec enim ex venialibus, quantoemque sint numero, efficitur vnum mortale. Hinc si quis voulit singulos dies ynam orationem dominicam recitare spacio vnius mensis: licet per omnes illius dies, eam recitationem omittat, non commitit maius peccatum in ultima quam in prima die. Sicq; datur excusatia mortali: quando actus leuis, materia est totalis voti: quæ non datur quando tantum est materia partialis.

238. Septimum documentum, quod traditur a Caiet. in verbo Votum cap. penult. est. Eum qui non potest ex toto implere votum, tenet saltem ex parte quæ potest: sicut qui non potest soluere totum debitum quod contraxit, tenetur soluere partem quam potest. Et qui non potest ieiunare totam Quadragesimam, debet partem quam potest. Et qui vna refæctione contentus tunc esse impeditur, tenetur à vertiis cibis abstinere. Quod enim contingit in materia precepti, pariter existimandum est contingere in materia voti: quod habet precepti modum & rationem quædam. Ad idem facit, quod ex regula 37. iuris in 6. vtile per inutile non debeat vitari.

239. Aduerte autem tunc documentum hoc locum habere, cum voti materia fuerit diuisibilis: vt censetur esse quando constat multitudine & collectione actuum separabilium à se inuicem. Si enim diuisibilis fuerit: sive ex se, sive ex intentione voulentis: quia nolit aliter se obligare, quam prout in ipsis potestare fuerit totum implere: id ipsumq; non possit; excusabitur non ratum ab implendo illud, sed etiam illius partes quas potest: cum earum adimplitione voto satisfacere non valeat. Videodus est Suarez tract. 6. De relig. li. 2. c. 2. In cuius quoq; initio docet, quod obſeruatione dignum est pro praxi: votum de materia impossibili, non obligare ad aliquid loco eius pœstantium: quia votum non obligat ultra intentionem voulentis: quæ non est obligandi se ad aliud, quam ad id quod voulit, nisi illud in hoc fuerit inclusum: vt est calibatus, aut non petere ab uxore debitum: in perpetua castitate.

Octauum documentum est: Peccatum esse mortale voulentem pœnitentem voti facti, si pœnitentia includat propositum non implendi illud. Hoc de se manifestum est: quia propositum non implendi votum, & non implere sunt ciuidem malitia: quemad. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 6. Sotus lib. 7. de inf. q. 2. art. 4. ad 2. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 55. annotant. Sed adiuere non est idem sentiendum quando talis pœnitentia tantum includit propositum, se ab obligatione quam contraxit voulendo, liberandi per dispensationem aut commutationem legitimam, factam ve legitima auctoritate Superioris, arque iusta de causa, quandoquidem neutra harum est peccatum.

Iam si eadem pœnitentia non excludat sed includat propositum adimplendi votum factum, Nauar. ibid. cum Angelo Votum 3. num. 13. dicit non esse peccatum saltem mortale. Sylvest. vero, votum 2. q. 20. absolute ait nullum peccatum esse, si adit rationabilis pœnitendi causa: quod etiam locis citatis volunt Caiet. & Sotus. Qui addit id

præfertim verum esse, quando emissum est votum de re ardua: & is qui voulit experit difficultatem, quam si pœnitentia non voulisset. Pro Sylvestro autem facit hæc ratio: quia potest quis absq; peccato nolle voulere: ergo pariter potest nolle voulisse: quandoquidem vtriusque illius actus, idem est obiectum: quod per solam habitudinem ad diuersas temporis partes, non variatur in bonitate & malitia morali. Sic ut ergo ante votum emissum non fuit obligatio gaudendi de illo emitendo, ita nec est non dolendi de emissu. Immo nec illud adimplendi sine vltro tali dolore, quod plerisque esset valde difficile. Aduertendum est tamen si ex tali pœnitentie oriarur probable periculum non adimplendi votum, eam mortali malitia non carere: qui enim amat periculum peribit in illo. Cum veniali autem solum foret, si solum esset periculum, languidus adimplendi votum ex Caiet. & Soto in idem locis.

## C A P . XVIII.

## Demateria voti.

## S V M A R I V M .

- 240 Tres conditiones, quas materia voti requirit.  
 241 Aptissima voti materia est opus supererogationis.  
 242 Bonum possum in precepto, potest esse voti materia.  
 243 Quid si de tali materia, non obstat, quin sit proprie voti, nouam inducens obligationem. Quodq; multiplicatio vnius eiusdem, voti non multiplicet obligationes, sed solum confmet primam.  
 244 Validum esse potest votum de nunquam peccando mortali.  
 245 Non item de nunquam peccando venialiter, aut absolute de nunquam peccando.  
 246 Explicatio difficultatis, An apta voti materia sit, quidquid bonum est moraliter.  
 247 Bonum possum in hominis libertate, quod inhabilit at ipsum adserendum consilium Euangelicum, materia est inepita ad votum.  
 248 Moraliter bonum, ut sit apta voti materia, debet esse melius suo opposito.  
 249 Solutio duarum rationum contra inuiditatem voti de matrimonio contrabendo.  
 250 Casus in quibus tale votum censi potest validum.  
 251 Explicatio difficultatis, An validum sit votum de ingrediente religione laxiori.  
 252 Votum de re indifferenti quatenus indifferens est, validum non est.  
 253 Est autem, quatenus de eadem redditia bona moraliter, ex circumstantia boni finis.  
 254 Corollariorum quæ ex ea doctrina deduci possunt.  
 255 Tres casus in quibus facere votum de materia inepita, peccatum est mortale.  
 256 Alij casus in quibus id tantum est peccatum veniale.  
 257 Vouere actum venialiter malum, est suo genere mortale.

**M**ATERIA voti, seu illud de quo votum fieri debet, tres conditiones requiri, vt intelligitur ex doctrina D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2. Prima, vt actus humanus, seu quæ exercere, vel non exercere liberum sit voulenti. Nam si actus sit, quem vel exercere, vel non exercere sicut non est in ipsis potestate, inepit peculiari obligatione adstringer se ad id, quod vellet nolit ei contingit. Secunda, vt sit opus bonum: ut potest debet gratum esse Deo, cum votum sit promissio facta Deo, quæ ipse non acceptat nisi factam de re sibi grata. Nihil autem quod bonum non est, Deo gratum est. Quapropter votum non nisi de bono fieri potest. Et ita communis Doctorum omnium sententia est, vt Suarez testatur in tract. 6. De relig. libr. 2. in initio capit. 4. actum malum non posse esse obligationis voti materiam: alioquin enim est obligatio ad illum exercendum, adeoque ad peccandum, quod absurdum est. Vnde dicitur 2. 2. qu. 4. In malis promissis rescindit fidem: in turpi voto, muta decretum: quod incaute vouisti ne facias: impia est promissio quæ scelere adimpletur.]

Tertia